



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.10. Ordines Militares.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

bellis sacris, nec sperari prudenter potuit, his Præfulibus Ecclesias suas restitutum iri, non amplius illis dandi successores, nec hi vani tituli perpetuandi fuisse videntur, ac eo minus quidem, quia hic mos Græcos cæterosque schismaticos a reditu ad Ecclesiam magis semper magisque avocat Romanam curiam videntes plenam horum Episcoporum *in partibus*, munera cum dignitate sua parum commensa obeuntium.

§. X.

Ordines Militares.

Post Clerum consideremus Ordines Militares, novum Religiosorum genus antiquitati incognitum. Usque ad seculum duodecimum satis habebatur armorum professionem Christianis permissam, nec salutem contrariam credere: at nemini venerat in mentem illam in statum perfectionis vertere, eique tria vota, quæ vitæ religiosæ natura postulat, adjungere. Revera horum votorum observatio contra communes per vitam tentationes magnas cautiones exigit; solitudinem aut saltem recessum peccati occasiones vitandi gratia; collectionem mentis, meditationem veritatum æternarum, ac preces crebras ad consequendam tranquillitatem animæ, cordisque puritatem. Sed per-

perquam difficile videtur hæc exercitia
 conjungere cum vita militari, quæ mera
 est actio, merusque motus, ac tentationi-
 bus periculosissimis, aut saltem violentis-
 simis perturbationibus exponit animum.

Idcirco bellatoribus præ hominibus
 reliquis opus esset legendo, colloquendo,
 lectaque & audita considerando ingenium
 excolere. Quemadmodum illos natura
 animosos & impavidos credo, bonus ra-
 tionis usus eis plusquam aliis est neces-
 sarius, ut suam bene impendant auda-
 ciam, & justos intra limites contineant.

Generositas sola brutos facit: ratio sola
 non facit fortes: altera alterius ope in-
 digent. Veteres autem Equites nostri
 erant illiterati, ac plerique ne legere qui-
 dem sciebant. Unde factum, ut commu-
 nis Templariorum precatio in sola præ-
 sentia ad officium a Clericis suis canta-
 tum consisteret. Dubito, an præterea
 satis caverint a tentationibus, quæ ab u-
 su armorum abesse nequeunt; & an in
 præliis ipsis tam sibi præsentibus fuerint,
 ut nec ira, nec odio, nec vindictæ deside-
 rio, nec ulla animi motione humanitati
 & justitiæ contraria se abripi paterentur.

Secundum veterem Ecclesiæ disciplinam
 quoddam poenitentiae genus suadebatur
 illis, qui vel æquissimis in bellis quenquam
 occiderant: videmusque aliquas hujus
 discipli-

*V. Platon.
 Rep. lib. 2.
 p. 375. edit.
 Serr.
 Reg. to. X.
 con. p. 923.
 Hist. lib. 86.
 §. 55.*

*S. Basil. I.
 ad Amph.
 c. 13.
 Hist. lib. 48.
 §. 9.*

disciplinæ reliquias post pugnam Fontaniacensem an. 841.

*Hist. lib. 73.
S. 21. lib. 83.
S. 18.*

Crediderim, Templarios cæterosque Ordinum militarium Equites magna virtutis exempla edidisse in primo fervore suo. Sed fatendum est, hunc remisisse brevi, gravesque de illis querimonias ab exitu seculi XII. paulo post eorum institutionem jactatas esse. Cæperant privilegiis abuti suis, hæc infinite extendere, Episcopos, quorum legibus exempti erant, spernere, Papæ ipsi, nonnisi quantum libebat, obedire, pacta cum ethnicis confecta negligere, quandoque cum eis Christianos prodendi causa colludere, multi corruptam & mali exempli vitam ducere. Denique illorum crimina usque adeo creverunt, ut generale concilium Viennense eorundem institutum ante ducentimum hujus annum completum abolere cogeretur: & facinora, de quibus accusati fuere, tam atrocia sunt, ut sine horrore legi nequeant, ac ægerrime credantur, quanquam ex testimoniis fide dignis comperta.

Quod ad Ordines militares, qui etiamnum existunt, attinet, Ecclesiæ, quæ illos approbavit, auctoritatem, ac plurimum cujusque corporis membrorum virtutem veneror: quosdam Equites Melitenses magnam perfectionem exercere nostra ætate vidimus. Sed cujusque conscientia

tiæ relinquo statuendum, an vivat ut verus Religiosus, ac fideliter suam observet regulam. Illos primum, qui hoc vitæ genus amplectuntur, dein parentes, qui filios suos ad idem inducunt, precor, ut non sine magna rei cognitione id faciant, nec aliorum exemplo se trahi patiantur; & attente coram Deo considerent, quænam onera huic statui sint annexa ex intentione Ecclesiæ, non secundum disciplinæ remissionem, quam tolerat; ac præcipue, quibus ex rationibus huic Ordini dent nomen, an ut æternæ salutis suæ consulant, & ad Christianam perfectionem tendant, vel ut temporalia Ordinis bona participent, ac equestria obtineant beneficia: nam summa perversitas est paupertatis votum nuncupare tanquam viam suo tempore acquirendi divitias.

§. XI.

Pœnitentiæ intermissio.

Ex omnibus expeditionum sacrarum consecutionibus perniciosissima religioni fuit cessatio pœnitentiæ canonicæ. Cessatio, inquam, non abrogatio: nam nullius unquam Papæ vel concilii constitutio illam expresse abolevit: nec ulla, quam sciam, deliberatio unquam hac de materia fuit inita: nunquam dictum est: Postquam veteris disciplinæ hujus rationes